

portiones ut minores et repellendæ a præmio, licet non ut præmiandæ, et saltem hoc modo fit comparatio inter plures proportiones. Et sic semper habetur attentio ad plures personas in justitia distributiva, aut actu, aut virtute, et in potentia: de omni enim justitia distributiva dicit S. Thomas 1-2, quæst. Lxi, art. iv ad iii, quod: « Non attenditur in justitia distributiva æqualitas ejus quod quis accipit, ad id quod ipse impendit, sed ad id quod alius accipit juxta modum utriusque personæ. » Cum ergo Deus aliquando det præmium, seu donum uni tantum, repulsis aliis, ut minus dignis aut indignis, aliquando distribuat præmium inter plures juxta quod uniuscujusque meritum et proportio exigat, ex hac parte non est ei impossibilis distributiva justitia.

XVI. Quod vero recurrit p. Alarcon supra citato capite, num. iii, ad hoc quod Deus non potest ligari debito legali, sine quo vera, et specialis justitia nequit subsistere, nec versatur circa bona temporalia, sine quibus nulla rigorosa justitia datur, omnino ad rem non est. Nam respicere in justitia bona temporalia, solum est de ratione justitiæ humanæ, et politicæ, quæ contractus istos, et officia temporalia respicit, non de ratione justitiæ secundum se, alias non posset exerceri inter Angelos, et inter homines quoad honores, aut jura mere spiritualia: hoc enim omnino materiale est ad justitiam. Dari autem debitum legale in Deo, id est, ex aliqua lege vel alieno jure ortum est impossibile, sed datur debitum legale, hoc est quod sit ipsamet lex et sic ad formalem rationem distributivæ justitiæ sufficit quod oriatur hoc debitum ex ipsa naturali rectitudine et ordinatione distribuentis, volentis se obligare, non solum ratione fidelitatis, quæ oritur ex simplici promissione, et obligat ad ve-

rificandum promissum, sed ratione promissionis, et ordinationis onerosæ, quæ proponit, et promittit aliquid sub onere actionis magis vel minus digne, et proportionem habentis comparabilem cum aliis, et tunc obligat justitia distributiva ex ipsa naturali ratione, ut servetur æqualitas proportionalis inter partes, ut jam supra extensum est, et hoc est debitum legale distributivum non commutativum.

XVII. Ex his sequitur, quomodo necessaria sit ordinatio et pactum aliquid seu promissio ex parte Dei ad meritum, nec solum extrinsece se habeat, ut putat Vasquez, de quo amplius tractabitur in 1-2, in materia de merito ad quæstionem cxiv. In præsentem solum dicimus, quod ordinatio, et pactum Dei non requiritur ad dandam dignitatem, et valorem operibus intrinsecum: pactum enim aliquid extrinsecum illi est, et supponit, non facit dignitatem operum, hæc enim ex gratia Dei provenit, qua posita, per seipsam dignificat, et grata reddit ipsa opera, et intrinsecum valorem eis præbet, quem a pacto nullo modo habere possunt, etsi pactum cadit super opera dignificata a gratia, jam supponit valorem in eis intrinsecum; si autem non cadit super opera dignificata per gratiam, semper intrinsece, et in suo valore manebunt inæqualia, et inferiora præmio: pactum vero superveniens non erit ad dandum præmium pro æquivalenti opere, sed pro inæquali si quidem inæquale esse supponitur: ergo non serviet tale pactum ad constituendum illam redditionem præmii in linea justitiae, quia non in linea æqualis, sed inæqualis. Requiritur nihilominus pactum seu ordinatio Dei tamquam conditio ad meritum, et non ut dans intrinsecam dignitatem propter duo, alterum ex parte Dei, alterum ex parte nostra.

Ex parte quidem Dei, ut reddatur debitor illius præmii pro talibus operibus: quod enim respectu principis et distributoris humani est lex imposita illi a Deo ut servet justitiam, est in Deo ordinatio sua, et voluntas: ipse enim sibi est regula, et lex, et operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, et sibi ipsi debitor est, non alteri. Et præterea, quia Deus est supremus Dominus, et universalissima causa, non solum rerum, sed et actionum nostrarum, et de omnibus facere potest quod voluerit sine ulla læsione juris creaturarum. Unde potest illas actiones et merita nostra accipere alio titulo quam propter præmium, quia sua sunt titulo creationis, et summum dominium habet in illos, et ex influxu suo pendent, ut sint multo magis quam a nostro. Unde sicut ego possum de re mea disponere sicut voluero, ita Deus potest disponere de illis operationibus meis sicut voluerit, et dare vel denegare illis præmia, sicut ego actionem meam possum tali recompensatione cumulare vel omni recompensatione destituere. Ad hoc ergo ut actiones meas Deus velit illo determinato præmio honorare, et non alio titulo velle habere, requiritur ordinatio divina ad tale præmium obtinendum de facto, quia licet illo sint digna secundum se, et ex vi valoris intrinseci, tamen de facto non obligant Deum ad utendum illis pro tali titulo, et ad reddendum tale præmium, sed alio titulo potest illa acceptare, ut ergo Deus determinate se obligaret ad tale præmium de facto reddendum pro talibus operibus, indiget ordinatione vel pacto suo, quia de se indifferens est ad hoc ut illa acceptet pro ratione sui supremi dominii, vel pro reddendo tali præmio, vel pro alio titulo. Ex parte quoque nostra requiritur illa acceptatio sub illo onere, quia posset homo dicere, quod

gratis vellet laborare, et opera illa facere, et cedere juri suo: nemo enim prohibetur juri suo cedere, sicut qui laborat in vinea nihil dicens aut petens a domino vineæ, non obligat de justitia ad reddendam sibi mercedem, quia potest id sponte facere. Sed tamen si homo vellet sic cedere juri suo, et gratis Deum colere, hoc ipsum ex Dei inspiratione, et influxu ac directione haberet; unde tandem hoc totum reducitur in ordinationem Dei, quia est causa omnium; et sic oportet quod determinet propter quid velit unumquodque fieri. Advertendum est tamen quod hoc pactum, seu ordinatio, non est necesse quod superveniat ipsi gratiæ datæ a Deo, sed in ipsa voluntate qua illam dat efficienter et ut causa ejus involvitur ordinatio propter quam dat illam ad talem finem, et pro tali præmio ut de facto acquirendo per talia opera.

QUID DE GRATITUDINE ET VINDICATIONE DEI?

XVIII. Præter fundamentum hucusque explicatum, quod est a priori, restat etiam fundamentum quasi a posteriori, quia retributio seu distributio præmiorum fit a Deo per aliquam virtutem, seu attributum, et non est aliud quam justitia. Non fidelitas sola, non gratitudo, non vindicativo pro malis. De fidelitate ostenditur, quia fidelitas de se solum et ex vi suæ formalis rationis solum respicit veritatem, et impletionem ejus, etiamsi sit in simplici promisso. Præmium autem non solum redditur meritis ratione veritatis implendæ, sed ratione onerosæ actionis, quæ fit a me intuitu illius præmii, et cum ordine ad illud, licet illud onus non sit secundum aliquid juris commutativi, quod est jus dominii, et proprietatis, sed secundum

jus proportionis, et dignitatis, ut tale præmium reddatur proportionate ad alios, qui etiam concurrunt ad tale præmium. Quare sola fidelitas non potest reddere hanc æqualitatem et constituere justum proportionate, quia ad ipsam solam non pertinet nisi reddere verum, et implere quod promisit, et quod dixit in veritatis semel dictæ, sive fit in materia gratuita, sive onerosa, non autem ad ipsam pertinet jus servare, neque quod est jus dignitatis et proportionis ad aliquod præmium respicere, neque quod est dominii et proprietatis seu valoris ad aliquod pretium vel ad aliquam commutationem.

XIX. De gratitudine late probat Suarez dicto libro XII de gratia, capite xxx, non esse in Deo, eo quod non respicit aliquid a creatura sibi factum tamquam beneficium, aut gratuitum obsequium, cum Deo fieri non possit beneficium a creatura, neque aliquod obsequium ita gratis, quod non magis sit debitum. Gratitude autem proprie solum recompensat beneficia, id quod gratis fit erga aliquem ratione cujus gratiæ redduntur beneficienti ab eo qui recipit beneficium. Quare dicendum est quod gratitudo potest accipi dupliciter. Uno modo proprie, et stricte quatenus accipitur relate ad beneficium seu obsequium, indebitum et gratis factum, sicque fundat debitum morale seu honestatis, non rigorosum, et legale, quod est debitum agendi gratias et retribuendi beneficium nobis gratis impensum, quod ad decentiam virtutis spectat, non ad juris obligationem et exigentiam. Alio modo potest considerari gratitudo non sub hac stricta, et propria ratione, ut fundat debitum recompensandi gratuitum beneficium, aut obsequium gratis impensum; nec ut respicit benefactorem, sed generali quadam ratione

qua voluntas ex propria ratione tectæ inclinationis complacet de bono et illi gratum, sicque debet illi affectum bonum, et ex bono affectu sequitur deberi bonum effectum, et promotionem talis boni ex ipsa decentia talis voluntatis. Primo modo non est in Deo gratitudo formaliter, nec si esset illa sufficeret ad retributionem præmiorum pro meritis juxta æqualitatem proportionis. Secundo modo non est gratitudo de qua loquimur in præsentia, quæ est pars potentialis justitiæ, neque ad illam spectat specialis hic actus retribuendi et distribuendi præmia juxta proportionem meritorum.

XX. Primum declaratur sic, quia gratitudo, ut est recompensativa beneficii gratuiti seu indebiti (et ad idem reducitur obsequium indebitum, quia in eo quod non debetur beneficium est) habet imperfectionem intrinsece annexam, quæ Deo est impossibilis, scilicet quod possit a creatura recipere beneficium, aut aliquid indebitum rigorose et proprie loquendo; quia omne bonum quod a creatura procedit, beneficium Dei est, et ab ejus influxu libero et gratuito procedit, quia saltem habet esse in rerum natura, et hoc ex libera Dei voluntate est: si ergo omne bonum, omnis actio, omne obsequium quod creatura dare potest beneficium Dei est, et ab eo procedit, implicat quod ipse Deus in aliquo sit beneficiatus a creatura et creatura exhibeat ei beneficium, pro quo debeat Deus gratias agere: hoc enim magnam imperfectionem Deo inferret, et est omnino impossibile, considerando summam dependentiam creaturæ a Deo in omni re, et actione sua: in omnibus enim beneficio Dei est quidquid est, et in ipso vivimus, movemur, et sumus, unde etiam quæ accipimus de manu ejus reddimus ei. Quomodo ergo benefi-

cium ei præstare possumus, et indebitum obsequium, si quidquid ei præstamus, hoc ipso quod damus, ab eo accipimus; si ergo potest Deus accipere a nobis beneficium, potest et a se, quia ab eo est quidquid est.

XXI. Et confirmatur, quia ut dicit D. Thomas 2-2, quæst. cvi, art. III, ad IV, servo in quantum exhibet opus servitutis non debetur gratitudo, quia ut adducit ex Seneca in tertio de beneficiis: « Quamdiu servus præstat quod a servo exigitur, et ministerium est, ubi plusquam a servo necesse est, beneficium est. » Ubi enim in affectum amici transit, incipit vocari beneficium; et ideo etiam servis ultra debitum facientibus, gratiæ sunt habendæ. Sed creatura comparatur ad Deum cum tam stricta servitute, ut quidquid ei præstat, non sit plusquam a servo, sed totum sit ut ex Dei dominio, et voluntate fluens in ipsam, quia omnes operationes ejus a Deo sunt, quod non ita contingit in servo hominis, quia non habet omnes actiones ei subjectas, neque ab ipso ut a causa influente derivantur. Ergo, etc.

XXII. Dices: Nec etiam Deus omnia sub præcepto jubet hominibus, et sic non omnia ex servitute reddit Deo, sed quædam sunt opera supererogationis ad quæ homo non tenetur: ergo respectu talium potest Deus habere gratitudinem, sicut Dominus servo in his quæ facit gratis, et ut amicus. Et præsertim quia homo per gratiam non est servus sed amicus, juxta illud Christi Domini Joan. xv: *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* Ergo aliquid potest respicere Deus in homine, non tamquam in servo, et consequenter ut objectum gratitudinis.

Sed contra hoc est, tum quia, ut bene vidit Suarez ubi supra, homo non solum meretur per opera supe-

rerogationis, sed etiam faciendo opera præcepta: ergo saltem ista quæ facit ex præcepto, non respicientur a Deo titulo gratitudinis, et tamen vere et propriè meretur per illa, et Deus intuitu eorum dat præmia: ergo non ratione gratitudinis Deus omnia merita præmiat, sed secundum alteram virtutem, et illa erit justitia distributiva. Deinde, quia aliud est opera supererogationis non esse sub præcepto, sed sub consilio propter suam perfectionem, aliud quando fiunt, non esse beneficia Dei sed potius gratis, et indebite impendi ab hominibus ipsi Deo. Primum est verum, sed secundum falsum cum potius hæc opera quando fiunt ex majori auxilio, et beneficio Dei fiant, et majus donum in illis faciendis accipit homo a Deo, et sic minus ei donat ex se, sed plus ex acceptis a Deo. Ut autem aliquis faciat ultra debitum servitutis, et mereatur gratias, requiritur quod id quod facit sit de suo, non ex beneficio alterius acceptum. Quod vero dicitur homines justos esse amicos Dei non servos, respondetur per gratiam tolli servitutem peccati, non servitutem subjectionis, et dependentiæ: nam etiam justis servi Dei dicuntur et ita amicitia ad Deum non tollit subjectionem, sed addit consortium, et familiaritatem ad Deum, ideoque in eo magis oneratur homo beneficio divino, quam ipse ei beneficium impendat, juxta illud Bernardi serm. xv in psalmum qui habitat: « Onerat cum exonerat Deus, onerat beneficiis cum exonerat peccatis. »

XXIII. Quod vero etiam si poneretur in Deo gratitudo, non sufficeret ad faciendam distributionem præmiorum, inde deducitur, quia gratitudo respicit aliquid recompensandum quatenus titulo gratuito, et ultra debitum nobis aliquid impenditur; distributio autem præmii

respicit aliquid factum titulo oneroso, et per modum laboris, aut certaminis, et quia sic ordinatur a Deo ut hoc modo fiat; ideo merito retribuit Deus præmium, ut mercedem, et coronam intuitu illius operis ut habentis proportionem, et condignitatem cum præmio, non ut obsequium aut beneficium gratis impensum, quod solum respicit gratitudo, quia ut dicit D. Thomas citata quæstione CVI, a. VI: « In beneficiente hoc præcipue commendabile videtur, quod gratis beneficium contulit ad quod tenebatur; et ideo qui beneficium accepit, ad hoc obligatur, ut similiter aliquid gratis impendat. Non autem videtur gratis aliquid impendere, nisi excedat quantitatem accepti beneficii, quia quoad recompen- sat minus vel æquale, non videtur facere gratis. » Igitur motivum retributionis in præmio pro meritis cum sit motivum faciendi æquale juxta dignitatem, et proportionem accipientis, opponitur motivo gratitudinis, quod est impendere aliquid gratis propter gratis collatum. Unde solutione ad tertium dicitur S. Thomas quod: « Sicut in justitia, quæ est virtus cardinalis attenditur æqualitas rerum, ita in gratitudine attenditur æqualitas voluntatum, ut scilicet sicut ex promptitudine voluntatis beneficium aliquis exhibuit, ad quod non tenebatur, ita etiam ille qui suscepit beneficium, aliquid supra debitum recompenset. » Gratitudo ergo solum reddit aliquid ex abundantia voluntatis, et motivo decentiæ, justitia autem ex alligatione ad debitum proportionis et dignitatis ejus, qui debet recipere præmium, et sic gratitudo non respicit proportiones plurium personarum, sicut retributio præmiorum, sed solum beneficium sibi impensum.

XXIV. Et ex hoc etiam deducitur

quomodo gratitudo large sumpta pro complacentia, et affectu grato erga bonum non sufficiat ad distributionem præmii secundum debitum justitiæ, quia ille affectus licet imitari videatur gratitudinem, in quantum procedit ex promptitudine animi, et ex abundantia voluntatis et affectus erga benefactorem, et inde potest derivari acceptio gratitudinis, ut omne quod fit ex abundantia voluntatis et affectus largo modo dicatur gratitudo; tamen hoc non versatur specialiter circa constituentem, vel retribuendam æqualitatem præmii attendendo ad proportionem et dignitatem personarum, quod specialiter debet attendi in redditione præmiorum pro meritis. Et sic illa gratitudo large sumpta non inducit motivum speciale faciendi hanc æqualitatem, de quo solum loquitur in præsentibus.

Quod attinet ad vindicationem seu justitiam vindicativam, sciendum est ex D. Thoma 2-2, q. CVIII, art. II, quod ponitur quædam specialis virtus, quæ est pars potentialis justitiæ ad propulsanda nocua, et injurias, quæ vocatur vindicativa justitia; et sicut gratitudo est virtus ad retribuendum bona pro beneficiis seu benefactis gratuitis, sic vindicatio est ad retribuendum pro malis, repellendo illa. Sed tamen ut ibi in solutione ad primum docet S. Thomas, punitio malorum secundum quod pertinet ad publicam justitiam, est actus commutativæ justitiæ, secundum autem quod pertinet ad immutationem alicujus personæ singularis, a qua injuria propulsatur, pertinet ad virtutem vindicationis. Itaque vindicativa, ut est pars potentialis justitiæ pertinet ad defensionem personalem, et privatam, quam quis facit vel per se ipsum quando vis vi repellitur, vel recurrando ad potestatem publicam quando non

est defensio pure naturalis, sed juridica. Vindicativa autem secundum quod est a justitia publica quæ malefactores afficit pœnis, et peccata punit, sic pertinet ad justitiam strictè dictam, quæ servat formam justitiæ commutativæ quatenus reddit tantum pro tanto in mensura pœnarum, licet in se sit distributiva, quatenus respicit proportiones delinquentium et majorem vel minorem dignitatem aut indignitatem personarum. Hinc ergo patet manifeste quod vindicatio, ut est pars potentialis justitiæ, non habet locum in Deo, sed solum illa quæ pertinet ad publicam justitiam, quia Deus semper operatur ut universalis causa, et auctor, et ut gubernator creaturæ, atque adeo secundum formam potestatis publicæ, quia potestatis supremæ, non ut se defendens a malis et propulsans illa; et sic si retribuit pœnas pro delictis, et mala propulsat, non est ex justitia vindicativa, quæ est pars potentialis justitiæ, quæ propulsat mala modo privato, et ut id pertinet ad privatam personam. Et sic non pertinet ad ipsam respicere proportiones et indignitates peccatorum ut distribuatur pœnæ, neque formam commutativæ justitiæ in his attendere, ut tantum pro tanto reddatur, sed solum propulsare a se mala ut nociva, et se defendere sive per se ipsum, sive per potestatem publicam, recurrando ad illam quod Deo non convenit. Solum ergo habet vindicare per modum judicis non per modum defendentis se, et ut privata persona, querentis repellere malum ex quodam debito naturalis defensionis, vel ex decentia quadam virtutis, quatenus convenit nobis damna vel injurias nobis illatas repellere pro loco, et tempore. Deus autem tamquam princeps summus eas repellit, et juxta mensuram unicuique dilecto a se taxatam juxta illud Apoc. XVIII:

*Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum: ergo modo legali punit, id est, juxta taxam legis, et sic ex justitia publica quæ est propria et stricta.*

XXV. Dices: Non punit Deus peccata ex debito legali, sed solum ex quadam decentia morali, quia potest libere non punire, sed indulgere: constat enim quod plures peccatores non punit, sed eis indulget: ergo non operatur ex debito rigoro, sed ex decentia quadam morali, quia decet Deum fontes punire.

Confirmatur, quia vindicativa, quæ est inter partes potentiales justitiæ, propulsat damnum et injuriam sibi illatam; Deo autem nullum damnum infertur ab homine quod debeat propulsare, et cum alias propriam injuriam possit quis remittere, et indulgere, non exercet strictam justitiam et secundum debitum legale in hac vindicatione.

Respondetur quod de facto non facit Deus remissionem peccatorum sine plena et rigorosa satisfactione, quia gratia quam dat, est per Christum, et consequenter per satisfactionem plenam. Itaque aut punit æternaliter pœna a se taxata, aut remittit ex satisfactione fide jussoris qui est Christus. Sed dato quod Deus sine ulla satisfactione indulgeret peccata, sicut potest de potentia absoluta, dicimus quod nihilominus quando punit ex justitia et debito legali punit, quia juxta taxatam pœnam a lege justa quam ipse Deus statuit: *Pro mensura enim peccati est et plagarum modus*, Deut. XXV, et Apoc. XVIII: *Quantum glorificavit se, etc.* Et hoc sufficit ut dicatur ex æqualitate justitiæ, et juxta proportionem, et merita delinquentium punire, et hoc est ex justitia et debito legali id facere. Sed tamen quia hoc debitum legale non est ei impositum ab aliqua lege superiori,